



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione August. ^{Hutteri}
- 2 Sadnel Elucifera nos disp. 1.
- 3 Axiomas brevis de sacro physico casu in diuinis M. Fied. 3 Alduini
- 4 Disp. de Ora. Actu tum Hora tum officio. Hofmann.
- 5 Disput. 1. de Coena Dni. eisdem. assertes ^{de p. t. q. 2. multa}
- 6 Disput. 4. de Coena Dni. Hofmanni ^{de p. t. q. 2. multa} ex cap. 1 Cor. 10.
- 7 De noticijs Dei & voluntatis ipsius Hofmanni
- 8 Drey vnterschiedliche beschreibungen an d. Consistorium zu
Leipzig, vnter abhoffung des Exorcismi
M. Georgij Lystarij.

Geß

Sammelband

30

SADEEL ELENCHOMENOS

DISPUTATIO. I.

ECCLESiarVM PER
GERMANIAM VERE REFORMA-
TARVM ΟΡΘΟΔΟΞΙΑΝ AC PVBITATEM, ADVER-

SVS EA, QVÆ ANT. SADEEL IN EPISTOLA AD ILLV-
stris. Germaniæ Principes & Magistratus &c.
paradoxa ijsdem objicit, asserens.

Ad cujus positiones
Sub divini Numinis auspicijs,

PRÆSIDE

LEONHARTO HVTTERO

S. Theol. D. & professore publico

Respondebit

M. FRIDERICVS BALDVINVS

Dresdensis, Poëta Laureatus : & Alumnus
Electoralis.

Ad diem 6. Septem. horâ matut. 7. In templo Arcis Electoralis.



VVITEBERGAE,

TYPIS M. IOHANNIS CRATONIS

Anno 1600.

11



Reverendis Clarissimisq; viris;
Pietate, doctrinâ & virtute præstantissimis;

Dn. M. GREGORIO STRIGENITIO,
Ecclesiæ Misnensis Superintendenti, & Con-
sistorij ibidem Assessori di-
gnissimo:

Dn. M. THEOPHILO GLASER O,
Ecclesiæ Dresdensis Superintendenti, &
vicinarum Inspectori vigilan-
tissimo:

Dn. M. IOANNI LVCIO,
Ecclesiæ Dresdensis Diacono
fidelissimo:

Dominis Patronis & fautoribus meis,
summâ pietate & observantiâ
reverenter colendis,

themata hæc offero & inscribo.
M. Frid. Balduinus
Dresd. P. C.



SADDEEL ELENCHOMENOS

DISPUTATIO I.



DE veritate humanæ naturæ IESV CHRIS-
TI, Theologicam pariter & Scholasticam Tra-
ctationem instituturus, sectæq; Calvinianæ
patrocinium pro virili suscepturus ANTO-
NIUS SADDEEL, Nobilis Chandeus, haud con-
tentus Gallia Sabaudiaq; finibus, ipsas etiam
Alpes transvolare, & ad Illustrissimos vicinæ Germaniæ tum
Principes, tum reliquos inclytarum civitatum Magistratus, pu-
ram ac sinceram Evangelij Christi Religionem amplexos, stylum
convertere voluit.

II.

Tragicam proinde mox à limine *προσφωνήσεως* tristissimarum
querelarum orditur telam, Rhadamanteam planè sententiam
textentem, non in Pontificiorum duntaxat *μετριοψων*, quam meri-
tò pij omnes ex agro & finibus Ecclesiæ Christi eliminatam cu-
piunt: Quo etiam nomine Sadeeli dicam minimè scribimus.

III.

Sed in Reformatas etiam Ecclesias, earundemq; Doctores,
qui Spiritus Sancti freti Magisterio, primæq; illius, ac minimè va-
riatæ Confessionis Augustanæ, Anno 30. CAROLO V. IMP.
AVG. exhibitæ, puritatem ac *ὀρθοδοξίαν* amplexi, hætenus IESV
CHRISTI, confidentis ad dextram DEIPATRIS in excelsis, Glo-
riam ac Majestatem Zelo magno, studio indefesso, Constantiâ
singulari vereq; admiranda, voce, calamo, sanguine, sartamtectam
asseruerunt.

IIII.

Sacrosanctum hoc sacrosanctæ Doctrinæ de Persona CHRIS-
TI depositum, (quod monstroso UBIQUITATIS nomine,
διὰ βλασφημίας indigitare solet) Principibus & Magistratibus per
Germaniam Orthodoxis exosum planè reddere, illisq; unicè per-
suadere satagit, ut vel tandem hoc Ubiquitatis dogma, ex floren-
tissimarû Ecclesiarum suarû finibus exterminatum esse iubeant.



V

Magnum sanè postulatam, & ejusmodi planè, quod non v-
nius aut alterius provinciæ sive dynastias: Sed communem, &
quidem N O V A M totius inclytæ laudatissimæq; Germaniæ no-
stræ, quæ quidem Idolomania Pontificiæ nuncium jampridem
remisit, Reformationem urget & efflagitat.

VI.

Gratulata sibi hætenus est Ecclesia Reformata sive Evange-
lica, & iterum atque iterum sibi gratulata, quod ex tenebris, ca-
ptivitatis Pontificiæ, plusquam Cimmerijs, felici lætoq; fidere
eluctari: quod Thaidis illius Babylonica, Pontificis nimirum
Romani, qui Caput & Sponsum totius orbis Christiani, ausu verè
sacrilego, jactitare sese haud erubuit, Dominatum & Superbiam
excutere: quod denique ad salvificum illud, diuq; multorum
suspirijs ac gemitibus exoptatum purioris, imò purissimæ doctri-
næ Evangelicæ, per magnum illum D E I servum, B. L V T H E R V M
Papo--Cinglianicen repurgatæ, jubar ac decus aspirare licuit.

VII.

At verò, Sadeele jam judice & teste, tantum abest, ut de tan-
ta felicitàte verè gratulari sibi potuerit, hodieq; possit, ut potius,
quippe *και αιων ειπισην* (Suidæ verbis utor) *εμπεπλομένη*, illud Ho-
mericum audire cogatur.

Ναπιος; ἡ δὲ λαὸν ἤδη, ἄρ' αἰ Ζεὺς κήδετο ἔργα.

VIII.

Quid enim? Annè obsecro ad aureum illum cælestis *θεοδοξίας*
portum appulisse ea censenda est Ecclesia, quæ teterrimorum
errorum cano imbuta adhuc, & constricta quasi tenetur, &
eorum quidem errorum, ac hæreseon rea peragitur, quæ, (liceat
Sadeelis uti verbis) molestissimos veterum hæreticorum carbo-
nes, novis flabellis accensos, resuscitant: quæ Eutychianam hæ-
resin, mutato duntaxat nomine reponunt: quæ ejusmodi labo-
rant incommodis, ut ad ea pius quisque perhorrescere cogatur:
quæ sanctissimum I E S V C H R I S T I nomen prophanant; quæ pa-
ci Ecclesiæ, atque Consolationi innumerabilium hominum, reli-
gionem V E R E Christianam ex animo profitentium, horumq;
gemitibus repugnant: quæ denique telum, quod Pontificij quo-
tidianis scriptis, Ecclesiæ Reformatæ satis arroganter intentant,
acuunt magis, quam ex ipsorum manibus excutiant?

Sic

IX.

Sic nimirum Sadeel Reformatas, & à Pontificiorum sordibus repurgatas per Germaniam, beat Ecclesias, ut atrocissimarum hæreseon eas infimulare aufit: Sic pijsimis Megalandri LUTHERI nostri manibus, ejusdemq; laboribus, quos in expurgando Augiæ Papalis stabulo verè Sisyphios exantlavit, dignam rependit gratiam, ut ex hujus Reformatione veterum hæreticorum mores repullulasse, palàm arguat.

X.

Verùm placet ipsum audire loquentem Sadeelem, ac initiò quidem *ἑγκλήματα* illa sive Actionis capita, quibus Reformatis Ecclesiis, sive ut ille loquitur, Ubiquitarijs, in publico Ecclesiæ foro litem movere haud dubitavit, cognoscere; postmodum vero ad ea paucis quidem, sed quod res est, respondere.

XI.

ACTIO SADEELIS contra Reformatas per Germaniam Ecclesias: sive, Ubiquitarios.

I. ΕΓΚΛΗΜΑ.

Ubiquitarij, ut veram, & realem veri & realis Corporis Christi præsentiam in pane constituent, excogitarunt dogma de Omnipræsentia Corporis Christi. Quod quidem dogma eò spectat, ut Humana Christi natura, suis prædita dimensionibus, simul sit ubique præsens, nullo loco, nullisq; dimensionibus circumscripta: ac proindè *jam non sit Humana Natura*

II ΕΓΚΛΗΜΑ.

Ex quo factum, ut Ubiquitarij, unâ cum Pontificijs, Euty-chianam hæresin, quam damnarunt, imprudentes confirment: eosdemq; errores, mutatis nominibus reponant.

III. ΕΓΚΛΗΜΑ.

Etsi in doctissimorum virorum, & præclarè de Ecclesiæ Christi meritorum, scriptis occurrunt, quibus Omnipræsentia Corporis Christi stabiliri possit: Sed quia tamen viris tantis vix probari potuerunt, quæ ex isto dogmate consequuntur: ideo sic eorum scripta erunt interpretanda, ut, si quando Corpus Omnipræsens dixerunt, perindè sit, ac si dixissent: *Corpus ejus, qui est Omnipræsens*. Idq; eò libentius faciendum, cum quia in ipsis eorundem

dem scriptis plarâq; minimè aliena, ab interpretatione ista, ex-
tant: tum quia nonnunquam veteres ipsi ita locuti videntur, ut
in hac quæstione Concreta pro Abstractis: & vicissim Abstracta
pro Concretis usurpârint.

XII.

Habes jam ô dilecta patria, ô inclyta Germania, quæ quidem
Reformatæ Ecclesiæ jure ac titulo VERRE gaudes, habes inquam
Accusationum capita, quibus Sadeel suo motus & Spiritu & Con-
silio gravissimarum hærese n te insimulat: satis sanè gravia &
atrocia: quæ nisi ocyus à te propulsaveris, jam de tua salute peni-
tus erit actum.

XIII.

Sed benè habet: Tonitrua hæc sunt è pèlvi, & inania ^{refut-}
^{antes}: quæ ad insequentis diexodi gnomonem examinata; sonum
quidem & strepitum edent, sed minimè ferient.

XIIII.

DEPULSIO PRIMI ΕΓΚΛΗΜΑΤΟΣ.

Actio prima Ubiquitarijs (uti per calumniam fidi illi & con-
stantes Confessionis Augustanæ Assertores indigitantur) imò
non Ubiquitarijs, sed B. cum primis Luthero, cujus alioqui san-
ctissimos labores, ipso etiam Sadeele sic censente, omnis posteritas
intueri debet, dicam manifeste scribit.

Sadeel
Refut.
Posnan.
assert.
P. 858.

XV.

Et eam quidem geminam: 1. Quoddogma de Omnipresentia
Corporis Christi excogitaverit. 2. Quod realem veri & realis Corporis Chri-
sti presentiam in pane, absque commento illo Ubiquitatis constituere haud
potuerit.

XVI.

Sed manifesta in utroque crimine falsitas. Etsi enim haud
inviti damus, Ubiquitatem, sive infinitam illam, & toto se Cor-
pore per omnia loca miscentem expansionem Corporis Christi,
qualem quidem, sed per insignem injuriam, Confessionis Augu-
stanae Ecclesiis affingere haud verentur Sacramentarij; non ho-
minum modò; sed ipsissimi potius Diaboli esse inventum & lu-
dibrium.

XVII.

Interim tamen eam doctrinam, quam de Omnipresentia
Corporis

Corporis Christi, siue Majestate Filij Hominis nostræ defendunt
Ecclesiæ; vel à B. Luthero, vel ab alio quopiam Ubiquitarianum
esse excogitatam, iterum atque iterum negamus.

XVIII.

Neque fidem huic accusationi prius faciet Sadeel, quam ma-
nifesta scripturarum testimonia, Matth. 28, 20. Eph. 4, 10. Psal.
72, 8. & hujus generis alia, ex quibus doctrina nostra, imo ipsa
Majestas Christi Hominis, adversus quamvis Sophisticationem
invictè asseritur, eliserit: id quod tentasse ipsum quidem, sed ir-
rito conatu ac successu, insequens *deus* ad oculum demonstra-
bit.

XIX.

Ejusdem farinae est & crimen illud alterum, quod sub rursi
Sophismate *et unum est in eis aliis* imprudentioribus fucum facere stu-
det.

XX.

Quid enim? Annè nostri veram ac realem præsentiam Cor-
poris Christi in Cœnâ, asserere haud potuissent, nisi in dogmate
de Omnipræsentia Corporis Christi, receptum aliquem & quasi
præsidium quæsiuissent?

XXI.

Falleris ô bone: Nam ut ad prima Certaminis Sacramenta-
rii principia descendamus, An non B. Lutherus adversus Carolo-
stadium, Oecolampadium, Zvinglium, & reliquos Cœlestes Pro-
phetas, veram ac realem præsentiam Corporis & Sanguinis Chri-
sti in Cæna, *ex solis verbis Institutionis* ita asseruit, ut fundamenta
ejus inde extructa, nullus Zuinglianorum & Calvinistarum, in-
regris hisce 75. annis, ullo artificio evertere aut labefactare po-
tuerit?

XXII.

An non nostri jam inde à beatâ Reuerendi Patris Lutheri ad
Cælestes sedes ex immundo hoc mundo transmigratione, in om-
nibus conventibus, colloquijs, Disputationibus, de negotio Eu-
charistico institutis, ad sola verba Institutionis, ceu ad infallibi-
lem Cynosuram semper respiciendum esse, voluerunt?

Prodeag:

XXIII.

Prodeat in medium ipse Lutherus, & causam suam proprijs agat verbis. Is igitur Catechismo Majori sic scribit: *In his verbis (Institutionis Cænæ) Fundamentum nostrum, defensio & arma nostra sunt, adversus omnes errores & fallacias, quæ aut allata sunt hæctenus, aut unquam adferri in hoc negotio poterunt.*

XXIII.

Prodeant sanctissimi hujus Patris, quatuor illa Scripta ἐλεγκτικὰ sive πολεμικὰ: (Sacramentarijs ἐριστικὰ καὶ ἐνδιδουτικὰ per calumniam appellata) quæ de negotio Eucharistico, magno spiritu ac Zelo, & quidem ex professo Sacramentarijs opposuit: & veritati testimonium perhibeant. Ex hisce enim scriptis, de Accusationis hujus vel veritate, vel falsitate judicium facere quenquam, qui pius est & ἄνευ προκαρίματος judicare novit, libenter permittimus.

XXV.

Prodeant Ecclesiarum nostrarum libri Symbolici, & Ubiquitariorum patrocinium suscipiant. Apologia certè Articuli decimi Confessionis Augustanæ, veram ac substantialem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, horumq; Realem exhibitionem cum pane & vino assertura, non Ubiquitatis Dogma excogitat, sed D. Paulum in subsidium vocat.

XXVI.

Declar. Sic Formula Concordiæ, Articulo 7. de Cæna Domini; hanc
For. Con. ipsam doctrinam de præsentia Corporis Christi in Sacramento,
P. 713. non Ubiquitatis Dogmati; quasi propriæ sedi, superstructam; Sed
edit. lat. *in unicâ, solidissimâ, immotâ, & extra omne dubium positâ petrâ veritatis,*
Lips. *Institutione nimirum Cænæ, quæ in verbo DEI recitatur, fundatam esse*
asserit.

XXVII.

Prodeant etiam Articuli visitationis Misnicæ, horumq; pia ac Orthodoxa Declaratio, quæ pag. 14. suam de hac quæstione sententiam, Categoricè planè in hunc modum informat: *Quoad Ecclesiarum nostrarum de hoc Articulo (S. Cænæ) doctrinam, illud cum primis observandum fuerit, verum ac genuinum sensum hujus Sacramenti, TANTVM ex verbis Institutionis, & ex ijs fundamentis, quæ propriè de hoc Sacramento agunt, peti posse ac debere.*

XXVIII.

Videris

Viderit proinde Sadeel, quâ fronte Ubiquitarios (ut ipsius termino utar) insimulare auit, ac si dogma de Omnipræsentiâ Corporis Christi ideo excogitaverint, ut veram ac realem præsentiam Corporis Christi in Cœnâ constituere queant.

XXXIX.

Interim verò non Lutherum modo, sed nostros etiam, in hoc ipso Certamine Eucharistico, ad disputationem de Omnipræsentiâ Corporis Christi descendisse novimus: verum non *ἐπιχειρηματικῶς ἢ κατασκευαστικῶς* sed *ἀνασκευαστικῶς*; ansam & occasionem primam præbente ipso Oecolampadio & complicibus.

XXX.

Fundamentis enim illis, quæ uti modo dictum, *ex solis Institutionis verbis*, immota planè & *ἄλυτα* Lutherus produxerat, cum quid illi opponerent, non haberent; mox mutatâ sede belli, in articulo de Persona Christi receptum quæ siverunt, subindè scriptitantes; *Christi corpus salvis proprietatibus veri corporis, Salvo etiam articulo Ascensionis & Sensionis ad dextram patris, ut que certus Cali locus sit, nullibi in terris, & sic neque in Sacramento Eucharistia esse posse.*

XXXI.

Portentis hisce verè Nestorianis obviam iturus Lutherus, utrumque hoc sibi in hac Palæstra deinceps præstandum esse perspexit: nempe non modo veram ac realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Cœnâ, ex verbis Institutionis demonstrandam: Sed & ex eodè articulo, ex quo arma mutuabantur Adversarij, ostendendum, neque proprietates veri Corporis, per præsentiam illam Sacramentalem tolli aut aboleri: Si quidem Corpus hoc Christi non verum modo & naturale sit maneatq; Corpus: verum etiam Corpus ipsius Filij DEI, qui cum tota plenitudine Divinitatis in illo inhabitet: neque etiam Ascensionem ad Cælos, aut Sensionem ad dextram Patris, præsentia illi in Cœnâ obstare posse: adeò ut hæc ipsa potius inde invictè confirmari & possit & debeat.

XXXII.

Quam ipsam Fortunam nostri quoque hæctenus in Certamine Sacramentario sunt experti: ut nihil jam mirum sit, utramque Quæstionem, & de præsentia Sacramentali in Cœna, & de

B

Omnipræ-

Omnipræsentia illâ generali Corporis Christi apud omnes creaturas, conjunctim quidem, sed diverso tamen respectu motam & explicatam fuisse.

XXXIII.

Illud verò mirum nobis vel maximè videtur, qui fiat, ut Sadeel non animadverterit, si hoc nomine dica cuiquam scribenda sit, illam non Luthero, non Ubiquitarijs: Sed prædecessoribus ipsius, Zvinglio nimirum, & hujus asseclis, scribendam esse, quippè quos primos hoc Contentionis pomum de Omnipræsentia Corporis Christi, in certamine Eucharistico movisse, tam certum est, ut qui hoc negare aufit, vel hospes planè & ignarus controversiarum Theologicarum, vel certè nimiùm perfrictæ esse frontis, videri possit.

XXXIII.

Cæterùm ne *ἀσέβητον* planè dimittamus Sadeelem, vel potiùs hujus propugnatores, rogamus vehementer, ut haud gravatè nobis respondeant; Cum in Certamine Eucharistico, duo distincta *ἐπιχειρήματα* occurrant; Unum: An Christus Corpore suo in Cæna pani adesse velit? Alterum: An possit Christus in tam multis locis, in quibus per univèrsam Orbem Christianum Eucharistia secundum Institutionem Servatoris administratur, Corpore & Sanguine suo præfens adesse? Unde nam & ex quibus Articulis cujuslibet Quæstionis propria ac distincta decisio peti & possit, & debeat?

XXXV.

Prioris sanè quæstionis, ubi de Voluntate Christi quæritur, exactissimam definitionem, ex verbis Institutionis unicè petendam esse, ipsi ultrò largimur: Continet enim ea promissionem illam Christi, de Corporis ipsius præsentia cum pane, Ecclesiæ factam. Quæ sanè promissio, quin certam ac immotam DEI voluntatem, fundamenti quasi loco habeat substratam, pio nemini potest esse dubium.

XXXVI.

Sed posterioris quæstionis dijudicationem, ex verbis ejusdem Institutionis desumendam esse, non prius probabunt, quam demonstraverint, in illis expressè definiri, quòd Corpus Christi in omnibus locis, ubi S. Cæna peragitur, præfens adesse vel possit, vel non possit.

Iam

XXXVII.

Iam ipsimet fateantur necessum habent, nisi fortè spontè in ipsa meridie cæcutire voluerint, non ex Articulo Cænæ, sed ex Articulo de Persona Christi, Quæstionis hujus sive Affirmativam sive Negativam mutuandam & confirmandam esse.

XXXVIII.

Quæ igitur hæc erit malitia, Orthodoxos Theologos nescio cujus Criminis in foro totius Ecclesiæ reos ob id peragere, quòd in certamine Sacramentario non prioris illius: Sed posterioris hujus Quæstionis decisionem affirmativam, ex Articulo de Persona Christi, & Sessione ad dextram Domini hæctenus sunt mutuati?

XXXIX.

Sed nimirum sic lubet sub Confusione disparatarum Quæstionum, imprudentioribus simul fucum facere, & innocentes, benèq; de Ecclesia meritos, variarum suspicionum objectis nebulis, acerbius perstringere.

XL.

Cujus Candoris est & illud παράδοξον, quod primo huic ἐγκύματι annectere, & sic frigidam quasi suffundere voluit Sadeel: Nempè: Dogma de Omnipræsentia Corporis Christi eo spectare, ut humana Christi Natura suis prædita dimensionibus, simul sit ubique præsens, nullo loco, nullisq; dimensionibus circumscripta, ac proinde jam non sit Humana Natura.

XLI.

Nimis certè insolens, ne dicam impudens hoc est convitium, & planè quod Græcorum fertur adagio, ὡς νικῆς ἐγκύματιον.

XLII.

Neque enim vel Naturæ in Christo humanæ abolitionem ex doctrina de Majestate Christi Hominis ullo modo consequi: vel ullam ἀντιφάσιν sive contradictionem implicari, si vel maximè Natura humana Christi, suas dimensiones in ipso etiam statu gloriæ, fartas rectas retinere, suæq; Naturæ terminis circumscribi, ac ex proprietatè sua in certò quodam sive loco, sive πᾶσι Cælesti esse: & tamen simul, vi unionis Hypostaticæ, in ὑπεστάσει τῆς λόγου à locorum διαστήμασι sive intervallis libera ac immunis, Ubique in Cælo & in terrâ omnibus creaturis adesse præsentissima, omniaq; in omnibus implere, dicatur: id insequentibus disputationes evidentissimè demonstrabunt.

XLIII.
DEPULSIONE SECUNDE

ΕΓΚΛΗΜΑΤΟΣ.

Nunc ad secundi *εγκληματος* depulsionem accessum faciamus; Quod tale est: Qui, inquit Sadeel, Omnipresentie Corporis Christi dogma proponunt, Eutychnam heresin, quam anathemate damnarunt, dum sanctissimis Ecclesie Christianae, de Christo vero Deo, & vero homine Symbolis assentiuntur, jam imprudentes confirmant, & eosdem errores mutatis nominibus reponunt.

XLIIII.

Criminis hujus sive accusationis vanitas sponte sua emerget, si quæ proprie Eutychnis, & quæ nostra, de humana Christi Natura post Exaltationem sit sententia, rectius constiterit quam utramque non ex imperfectis, subdolis ac Sophisticis Sacramentariorum ac Iesuitarum narrationibus: Sed illam quidem, ex eorum historicis relationibus, quibus utrinque fidem adhibemus; hanc vero ex libris Ecclesiarum nostrarum Symbolicis, candidè aperiemus. Iudicium penes candidum Lectorem esto.

XLV.

Primum igitur, quoad Eutychnis heresin, sic refert Evagrius, lib. 1. hist. Eccl. cap. 9. Temporibus Flaviani error impij Eutychnis oritur, de quo concilium provinciale cogitur Constantinopoli. Is eò vocatus, istos errores tenere, suis ipsius verbis deprehenditur: Confiteor, inquit, DOMINUM nostrum, antequam divinitas cum humanitate conjungeretur, ex duabus fuisse naturis: at post harum rerum conjunctionem, unam solum naturam in eo extitisse, affirmo. Idem etiam corpus DOMINI non ex eadem substantia cum nostro corpore constare asseruit.

XLVI.

Evagr. l. 2. hist. Eccl. cap. 4. Quod ipsum ex Synodo etiam Oecumenica Chalcedonenfi, ejusdemque Symbolo, Eutychnianæ & asseclarum heresi directè opposito, cognosci potest ac debet: Sic autem illud habet: Sanctorum patrum sententiam secuti, unum & eundem Filium Dominum nostrum IESUM CHRISTUM confitemur, & uno consensu omnes docemus eum perfectum in divinitate, perfectum etiam in humanitate, verè DEUM, hominem verè, eumque ex anima rationis participè, & corpore constare.

stare, secundum divinitatem patri consubstantiali, nobis autem consub-
 substantialem secundum humanitatem, nobisque in omnibus, excepto pec-
 cato, similem, ante secula à patre genitum secundum divinitatem, in ex-
 tremis diebus propter nos, nostramque salutem, ex Maria virgine & Deipa-
 ra natum secundum humanitatem: unum & eundem IESVM CHRI-
 STVM, filium, Dominum, unigenitum, ex duabus naturis sine earum
 confusione, sine mutatione, sine divisione, sine secretione (ἁποχριστας, ἀρε-
 πλω, ἀδ. ἀρετας, ἀχρεϊσας) cognitum, & naturarum differentiam propter
 copulationem, minimè sublatam, sed proprietatem utriusque nature inte-
 gram servatam: & in unâ personâ, sive ὑπόστασει, ut Græci loquuntur, co-
 hærentem, non in duas divisam personas, sed unum & eundem filium uni-
 genitum, D E V M verbum, & Dominum IESVM CHRISTVM, si-
 cut antiquitus Propheta de eo, & post ipse de se ipso nos docuit. CHRI-
 STVS, & Symbolum Patrum nobis tradidit.

XLVII.

Accedit Nicephori etiam auctoritas, qui Eutychnianam hære-^{Niceph. l.}
 sin his verbis definit: Eutyches duas quidem & ipse ante Unionem na-^{18. hist.}
 turas dixit; deinde unitas: Post Unionem autem in unam eas naturam abi-^{Eccl. c. 5. 2.}
 isse, confusaque esse, & mixtionem subijisse, opinatus est.

XLVIII.

His subscribit Vigilus lib. 2. contra Eutychem, discrimen
 Nestorianæ & Eutychnianæ hærese, n, tale constituens: Nestorius
 duas intuens naturas, duas putavit esse personas: Eutyches unam respiciens
 personam, unam censuit esse naturam: Et quia est in CHRISTO &
 naturarum proprietas, & personæ unio, Nestorius proprietatem attendens
 naturarum, à personæ excidit unione: Et Eutyches unam intuens personam,
 à naturarum proprietate desivit, & ipsam divinitatem asseruit passam.
 Vides quanti periculi res sit, aut unam in CHRISTO non credere perso-
 nam, aut duas confiteri nolle naturas. Dùm unam contra Nestorium,
 CHRISTI defendo personam, existimor secundum Eutychem, humanam
 negare naturam: dùm contra Eutychem duas assero naturas, existimor se-
 cundum Nestorium duas profiteri personas: quia ille duabus naturis duos
 Christos, duasque personas credidit adscribendas.

XLIX.

His ita præmissis, Quæ propriè Eutychniana fuerit hæresis,
 Oedipo divinatore haud amplius est opus. Res ipsa, quod ajunt,
 loquitur: quæ quatuor potissimum videtur esse hypothese n:



1. In Christo ante Incarnationem duas : post eam, unam tantum fuisse & esse naturam.
2. Ex Divinitate & carne per conversionem quandam, unam factam esse naturam.
3. Divinitatem verbi natam, passam, mortuam, & sepultam esse; sed *ἡ δόκησιν* tantum, non *ἐληθώς*.
4. Christi carnem non esse nostræ consubstantialem.

L.

Quarum tamen hypothese non hoc discrimen deprehenditur: ut duas tantum priores simpliciter pro suis agnoverit Eutyches : Reliquæ verò posteriores duæ per bonam consequentiam, ac necessariò quidem ex præcedentibus duabus extrui possint: adeò ut frustrâ omninò Eutyches duarum istarum propositionum atrocitate, falso se gravari, fuerit conquestus.

LI.

Ajñ tu verò Sadeel; Errores istos Eutychianos ab Ubiquitariis per dogma de omnipræsencia corporis Christi, mutatis duntaxat nominibus reponi?

LII.

Rem seriam si agis, jure certè optimo in te retorquere possum illud Augustini, quod Tu nostris (sed *ἀκαίως*) objicere soles: *Tum omnes eos, qui in aliis scientiis versantur, tum maxime viros Theologos, non maledicos convitiatores, sed veridicos disputatores esse oportere.*

LIII.

Age verò, si convitiatoris maledici crimen à te amovere velis, demonstra rem ita se habere, & quidem non ex præconcepto quodam cerebri tui idolo, sed ex Confessionis nostræ verbis, iisq; non contortis, verum rectè intellectis, demonstra, vel unam istarum hypothese non à nostris unquam propositam, ullòve pacto defensam esse.

LIIII.

Quæ enim de Locali & monstrosa illa Ubiquitate sive expansione corporis Christi, Tu & tui similes garrunt, nos minime feriunt. Talem enim omnipræsenciam corporis Christi, nemo nostrum, vel per febrim unquam somniavit: neque etiam novimus,

mus, an eò absurditatis, vel impietatis potius, quisquam nunquam fuerit progressus, ut corpus Christi, locali quopiam siue physico modo, in omnibus creaturis (& ut nonnullis vestrum, blasphemè satis, loqui hætenus libuit) in omnibus lapidibus, piris, pomis, caseis, cantharis cerevisiariis, &c. insit.

L V.

Cum hoc dogmate frugnans, & illud Eutychianum esse clamitas, certè cum lemuribus, siue cum proprii cerebri figmento pugnas: & planè extra oleas vagaris.

L VI.

Quæ enim nostrarum Ecclesiarum sit Confessio, & nùm Eutychianas, an verò his è diametro oppositas propositiones teneat ac defendat; Libri sanè nostri Symbolici satis perspicuè definiunt. Ex his igitur, de Accusationis hujus veritate fiat iudicium.

L VII.

Sufficiat hoc quidem tempore, Unus Concordiæ liber, qui Anno 1580. fœlicibus auspiciis lucem primùm aspexit: & quem Tu Sadeel, tuis notationibus vel maximè pungis. Ille verò quatuor illis Eutychianis hypothefibus quatuor hæc ex professo opponit.

I. *Credimus, docemus, & confitemur; jam in unâ illâ indivisâ personâ Christi, duas esse distinctas naturas: Divinam videlicet, quæ ab æterno est: & humanam, quæ in tempore assumpta est, in unitatem personæ Filii Dei. Et hæc due natura in personâ Christi, nunquam vel separantur, vel CONFVNDVNTVR, vel altera in alteram MVTA-
TVR: Sed VTRAQVE in suâ naturâ & substantiâ, seu essentiâ (in persona Christi) in omnem æternitatem PERMANET.*

II. *Credimus, docemus, & confitemur: quòd ut natura utraque in suâ naturâ & Essentiâ inconfusa manet, neque unquam aboletur: Ita etiam utraque suas naturales essentielles proprietates retineat, neque in omnem æternitatem eas deponat: & quòd unius natura proprietates essentielles nunquam alterius natura proprietates essentielles fiant.*

III. Hoc

III. Hoc fateri te necessum est: Hæc persona (monstrato Christo) patitur, moritur: hæc autem persona est verus DEVS. Rectè igitur dicitur: Filius DEI patitur. Et si enim una ipsius pars, (ut sic loquar) Divinitas videlicet, non patitur: tamen ea persona, quæ DEVS est, patitur IN ALTERA SUI PARTE, nimirum IN HUMANITATE. Revera enim filius DEI pro nobis est crucifixus, hoc est, persona, quæ DEVS est. Ipsa enim, ipsa (inquam) persona crucifixa est, SECUNDVM HUMANITATEM.

pag. 745. ex Tom. 2. vvit. p. 1888. Et post pauca: Ex his liquet, non carere errore, si quis dixerit, scripseritvè, quod commemorata propositiones (DEVS passus est, DEVS mortuus est) sint tantummodo prædicationes verbales hoc est, nuda verba, sine re. Simplicissima enim Christiana fides nostra docet, quod Filius DEI qui homo factus est, pro nobis passus, ac mortuus sit, nosq; sanguine suo redemerit.

pag. 737. IIII. Christus Iesus jam in unâ persona simul est Verus æternus DEVS, ab æterno ex Patre genitus: & VERVS HOMO, è laudatissima virgine Maria natus.

LVIII.

pag. 292. 758. 759. Hinc non verbale, sed reale anathema dicit Concordia ijs, qui statuunt Naturam humanam propter personalem Vnionem, cum divinitate esse CONFVSAM, aut in eam TRANSMUTATAM ut Eutyches furenter dixit: quiq; dicunt, Humanam naturam in Christo, divine nature, suâ substantiâ sive Essentiâ, aut in suis essentialibus proprietatibus esse EX AEQVATAM.

LIX.

præfat. For Conc. B. 5. fac. 2. Sin hæc pro Ubiquitariorum defensione Sadeeli non sufficiunt, audiat quæso ipsos etiam Illustrissimos Germaniæ principes, reliquosq; inclytos Magistratus, quos ipse suâ *neg opavtoei* compellere voluit, adversus hoc Accusationis caput, gravissimis verbis protestando hunc in modum excipientes: Theologi nostri disertis & expressis verbis, testatum volunt: Majestatem illam, humane Christi nature extra Vnionem personalem nequaquam adscribendam esse: nec etiam concedendum, quod humana natura eam Majestatem, vel propriam, vel per se, (etiam in unione personali) essentialiter, formaliter, habitualiter, subjective possideat. Nam si eam & dicendi, & docendi rationem teneremus, divina & humana natura, unâ cum proprietatibus suis confunderentur: humana etiam divine, ratione essentia & proprietatum exæquaretur, imò verò tota negaretur.

LX.

Protesta-

Protestationi huic, fidem si adhibere, porro dubitaverit Sadeel, persuasum equidem habeo, ipsum neque crediturum, si vel maxime ex mortuis resurgerent, qui nobis innocentiae & veritatis testimonium perhiberent: imò si ipse Eutyches revivisceret, & nos publice suae sententiae & haeresis hostes declararet.

LXI.

Sed priusquam ad tertium *ἔγχεμα* accessum faciamus, non possum non lectorem, pietatis simul & veritatis studiosum, per viscera misericordiae Dei obtestari, ut totam hanc causam, de qua disceptatur, diligentius expendat, & iudicium libere faciat, an vel Sadeel, vel reliqui Sacramentarij, Eutychianae haeresis nos insimulantes, causam Religionis SERVO agant.

LXII.

Si enim tales sumus, quales ab illis iudicamur, & publicis scriptis proscindimur & damnamur, Qui obsecro factum, ut Zvinglius & Oecolampadius, in Colloquio Marpurgensi, Anno 1529. à Luthero etiam atque etiam flagitaverint, ut ipsos pro fratribus haberet & agnosceret? Qui factum ut in Colloquio Mompelgartensi, Anno 1586. Theodorus Beza à D. Iacobo Andreae petierit, ut & se, & Symmistas pro fratribus agnosceret, & dexteram fraternitatis porrigere vellet? Qui sit, ut hodieque, nescio qualem Syncretismum nobiscum inire tentent Sacramentarij.

LXIII.

Quis enim obsecro pius non toto pectore abhorreret ab eorum fraternitate & amicitia, quos abominandam Eutychetis haeresin tueri noverit? Nobis certe detestanda magis, quam expetenda talis videtur fraternitas & amicitia.

LXIV.

Sin verò Sacramentarij de nobis adhuc dubitant, an huic haeresi simus addicti: Quae haec non modo temeritas & audacia, sed impietas & extrema malitia fuerit, hoc nomine coram universa Christi Ecclesia reos nos peragere?

LXV.

Cur obsecro non proferunt Concilium, Synodum, Conven- tum, in quo Lutherani (Ubiquitarij) legitime sint auditi, & Eutychianismi convicti & damnati?

LXVI.

C

Sed

Sed de hoc plus satis : Pergant illi si ita videtur, Calumniari
audacter : Sed ita, ut graves aliquando pœnas justissimo Iudici,
Christo Homini, cujus gloriam & Majestatem, stylo satis blasphemus
jam petunt, reddendas sibi esse meminerint.

DEPULSIO TERTII

ΕΓΚΛΗΜΑΤΟΣ.

LXVII.

Pergit Sadeel, & Illustrissimis principibus ac Magistratibus
persuadere conatur, viros doctissimos, & præclarè de Ecclesiâ
Christi meritos, si quando dixerunt, Corpus Christi est Omni-
præsens, hoc voluisse dicere, *Corpus ejus, qui est Omnipræsens.*

LXVIII.

Rationem affirmati subjicit hanc, quòd videlicet ipsi etiam
veteres in hac quæstione Concreta pro Abstractis : & vicissim
Abstracta pro Concretis usurpârunt.

LXIX.

Oedipo verò divinatore opus foret, ut quosnam per viros
illos doctissimos, deq; Ecclesia Christi præclarè meritos intelli-
gat, nobis constare possit. Sic enim non modò Illustrissimis,
quos compellat, principibus & Magistratibus, de rei veritate re-
ctius constare potuisset : Sed & nos de toto hoc Accusationis
capite commodius judicare, nostramq; de eo sententiam facilius
ferre potuissemus.

LXX.

Et sanè, dùm Sadeel, hac in parte more Heracliteo, *σκοτεινός*
esse, & novam quasi Africani legem condere voluit : haud imme-
ritò *ὕψι λόγῳ* fovere, censendus est.

LXXI.

Aut enim suæ Confessionis homines intelligit, puta eos,
quibus gens Sacramentaria Reformationis laudem, præ Lutero,
adscribere haud dubitat, ut, Carlostadium, Oecolampadium,
Zvinglium.

LXXII.

Aut nostros intelligit, & cum primis B. Lutherum, cui me-
ritò palmam præferunt omnes, quotquot sunt, fuerunt, & erunt
per Germaniam verè reformatæ Ecclesiæ.

Si il-

LXXIII.

Si illos: nobis rursus constare haud potest, si vel maximè ipsorum scripta, in succum, quod ajunt, & sanguinem convertamus: An ullus ipsorum, unquam hac phrasi fuerit usus, *Corpus Christi est Omnipræsens*: adeo ut contrarium ipsorum in libris nunquam non appareat.

LXXIIII.

Sed sit ita: tale quid scripserint, dixerint, vi veritatis adacti: Ecce mox Hyperaspistes eorum Sadeel, in foro totius Ecclesiæ clamat nihil dixisse ipsos aliud, quam *Corpus ejus, qui est Omnipræsens*.

LXXV.

Quod si cum phreneticis, aut hominibus mente captis, res esset Adversario, persuadere fortassis illis posset, pro æquipollentibus habendas hæc propositiones: *Corpus Christi est Omnipræsens: & Corpus ejus, qui est Omnipræsens*.

LXXVI.

Sed largiamur Adversario, quosdam ex ipsorum societate, sub ejusmodi flexiloquis loquendi modis, Ecclesiæ Christi turpissimè imponere fuisse solitos: Quemadmodum de Martino Bucero Lavaterus & Iosias Simlerus in oratione de vita & obitu Petri Martyris, testantur, quòd ambiguis & obscuris loquendi formulis sententiam suam proposuerit: ut in utram partem magis propenderet, colligi planè non potuerit: quodque Martyri ut idè etiam faceret, & utrique parti sese flexiloquis locutionibus accommodaret, autor suaforq; extiterit: Nobis placet illud Nazianzeni: *Ἄλλοι μὲν ἔτασσαν περὶ τῶν δογματικῶν πειζέτωσαν: ἡμῖν ὅμοιωται πείζειν, ἐν ἀσφαλές.*

LXXVII.

Sin vero Lutheranos, hoc est, Orthodoxos Augustanæ Confessionis *γνησίως* ac proprie sic appellatæ Doctores designare voluit Sadeel: hujusmodi certè *ερεβλόγηται*, quoad phrasas, vel quoad sensum & interpretationem in ipsorum libris deprehendi, haud magis probabit, quam Nivem esse nigram.

LXXVIII.

Quæ enim Lutheri, de hac propositione sit sententia: & quantum abhorruerit à Zvingliana illâ *ἀλλοῦ ὅτι*: nemini potest esse dubium, qui vel extremis saltem labris degustavit, vel externo duntaxat auditu percepit, quo sensu sive intellectu isthæc ipsi veniat propositio: *Corpus Christi est Omnipræsens*.

LXXIX.

Et quamvis Lutherana interpretatione adhibita hæc etiam Interpretatio Sadeelis admitti posset, ut nimirum diceremus, corpus hoc, esse ejus, qui est Omnipræsens: Totus nimirum, secundum utramq; naturam, & sic etiam secundum corpus hoc suum.

LXXX.

Minimè tamen latere nos potest, qui nam anguis lateat in herba: Veteratoria nimirum illa *in doctrinis*, sub qua & olim Zvinglius, & hodie Calviniani, casses Nestorianismi tendunt simplicioribus.

LXXXI.

Quæ qualis sit, haud inconueniens fuerit ex Confessione Majori B. Lutheri alius cognoscere: Sic autem ille: *hoc Zvinglius vocat allæosi, cum aliquid de divinitate Christi dicitur, quod tamen humanitatis proprium est: & contra.* Ut Exempli gratia: Cum Filio DEI Crucifixio & mors tribuitur: & vicissim: Filio Hominis gloria & Majestas divina ascribitur: ibi prius illud simpliciter de humanâ naturâ: posterius hoc unice de divina accipi debere, somniavit.

LXXXII.

Et hoc est illud, quod Sadeel mox subjicit, Intelligendas has esse propositiones, eo sensu, quo à Veteribus nonnullis concreta pro Abstractis, & vice versâ, Abstracta pro concretis sint usurpata: De quo *ωροχίνα* quid sit statuendum mox videbimus. Audiamus prius Lutherum, suam de hac *ἀλλοσίωσι* sententiam pertractantem.

LXXXIII.

*I. Cave, Cave tibi, inquit ille, ab hac allæosi Zvinglii: Est enim larva quædam Diaboli, quæ talem tibi CHRISTVM fingit, à quo ego Christi-
Tom. 11. V Vitteb. pag. 188. Confess. Maior.* *anus appellari nolim, nempe, ut CHRISTVS deinceps non aliud sit aut agat sua passione vitæq; omni, quàm quivis ex Sanctorum grege. Enimvero si CHRISTI humanam tantum naturam pro me passam fuisse credo, leviculus Salvator Christus mihi fuerit, sed ipse potius Salvatoris opus habet. Imò dici non potest, quid mali Diabolus sub istâ larvâ querat.*

*II. Stante *ἀλλοσίωσι* Zvingliana, persona Christi solvatur, & in duas personas redigatur necessum est. Nam si passiones, actiones, atq; opera Christi segregantur, & naturis tribuantur, Vnitæ personæ tollitur: Operationes enim & passiones non sunt naturarum, sed personæ tantum propria.*

111. Iste

III. Iſto Zvinglii dogmate omnis omnium Chriſtianorum fides & ſalus e-
medio tollitur. Qui enim à ſola humanitate redemptus eſt, nondum ſanè redem-
tus eſt, neq; unquam redimetur.

LXXXII.

Neq; verò ſtatuendum, quod in primo Communicationis Idio-
matum genere adverſus ^{hunc} Zvinglii diſputavit Lutherus, illud
in tertio, quod agit de Maieſtate & glòria divinâ, humanitati com-
municatâ, neglexerit: & illam cum primis propoſitionem, de quâ
hoc loco diſceptatur, corpus Chriſti eſt Omnipræſens, more ac-
ſenſu Sadeelis interpretatus fuerit.

LXXXV.

Reclamat enim ipſe rurfus eodem in libro. Cum CHRISTVS talis ho-
mo ſit, qui præter nature ordinem cum Deo una eſt perſona: & extra hunc ho-
minem nullus Deus reperiatur, neceſſariò conſicitur, quod etiam juxta tertium
ſupernaturalem illum modum ſit, & eſſe poſſit VBI Q; VBI DEVS EST:
ita ut omnia plena ſint. CHR.I.S.T.I. ETIAM IUXTA HUMANITATEM.

LXXXVI.

Fruſtrâ proinde laborat, imò mala fide agit Sadeel, ſi Reverendi
hujus patris, de hoc negotio, pronunciata in dubium vocare, aut
ad ſenſum Calvinianum detorquere velit.

LXXXVII.

Sed quid ſi Adverſarius, non Lutherum magis, quàm Iacobum
Fabrum Stapulensem, popularem ſuum, celeberrimum illum ut Ab-
batis Spanheimii verbis utar, Belgiæ Philoſophum, quin imò totius
Galliæ UNICUM Decus perſtringere, ipſumq; Zvinglianæ hujus in-
terpretationis ſocium proclamare velit?

LXXXVIII.

Hunc enim Lutherano planè & ſenſu & ſtylo Omnipræſentiam
corporis Chriſti ſtabiliviffe, adeò certum eſt, ut haud ita pridem Autor li-
Sacramentarius quidam, Patrem quaſi & Patriarcham Dogmatis bri de O-
Ubiquitarii, ipſum proclamaverit.

LXXXIX.

Sed audiamus ipſum ſuorum verborum interpretem. Sic enim il-
le in 1. Cor. 12. Imò neq; Europa, neq; Aſia, neq; Africa CAPAX eſt plenu-
dinis corporis Chriſti, corporis inquâ Chriſti, cui corpora noſtra ſpiritu-
ali modo
uniuntur, & ut ſi dicam, incorporantur; QVOD COELVM IMPLET
ET TERRAM. Eſt enim ubicunq; VERBVM eſt: Nam VERBVM

caro factum est : Quare verbum NVSQVAM est sine carne ; neq; caro illa sine verbo. Videte, NE CORPORALIS IMAGINATIO NOS HIC LAB DAT, LOCA MVLTIPlicANS, SPACIA DISTENDENS, Idem. MAGNA est fides cognoscere Christum corporaliter esse, ubi Sacramentaliter est : sed MAIOR est cognoscere, EVM ABSOLVTE VBIQVE CORPORALITER ESSE.

XC.

Experiat hinc vires Ingenii sui Sadeel, cum univ[er]sa gente Sacramentaria, & fidem nobis faciat, Stapulensi propositionem, qua corpus Christi dicitur esse Omnipraesens, idem plane sonuisse, ac illam, Corpus ejus, qui est Omnipraesens.

XCI.

Nos interim, donec ille vel de Luthero, vel de Stapulensi, vel de aliis viris doctissimis, deq; Ecclesia Christi praclare meritis, paradoxon hoc probaverit, ad *σέφειν* illud *φάσμακον*, quo assertioni suae fucum sive cerussam aliquam illinire conatur, accessum faciemus.

XCII.

Tom. 1. in
expos. fidei.
Et si vero minime negamus, In Patrum Scriptis non raro Abstracta pro Concretis: & Concreta vicissim pro Abstractis posita reperiri: novimus tamen & illud, minus accurate ac proprie ipsos locutores fuisse, praesertim ante mota Nestoriana & Eutychiana certamina: ubi haud pauci illorum, de Naturis verba facturi, vocabulis utebantur Concretis, ubi Abstractis utendum erat: Ut cum Athanasius; *Filius Dei, inquit, nostrum assumpsit Hominem, quem passioni tradidit, & in eo resurrexit.*

XCIII.

Et vice versa, Personam designaturi, Abstractis uti solebant vocabulis, ubi Concretis opus fuerat: Ut cum idem Athanasius dicit: *Illam Caro suspensa est in Cruce, non vero ipse.*

XCIV.

Quibus impropriis & incommodis locutionibus Patrum, recte licet alioqui sentientium, cum Nestoriani postea & Eutychiani, ad errores suos palliandos, & imprudentioribus obtrudendos abuterentur: non modo nonnulli ex Patribus posterioribus caute magis loqui didicerunt: Sed & Orthodoxi quique semper statuerunt; In locutionibus Patrum, magno & accurato delectu opus esse, neque temere quibusvis, sine commoda adhibita interpretatione, esse utendum.

XCV.

Qua sane cautione tanto magis hodie opus fuerit, quanto majore actu

re astu ac fraude Nestorianorum more, gens Sacramentaria virus suum sub mutuâ hac concreti & Abstracti permutatione occultare studet: cum recte quidem dici posse concedunt, Hic Homo est Deus, est Omnipotens: est Omnipræsens: *Sed in Concreto.*

XCVI.

Hoc quid sit, patet ex Seraphicâ & Cherubicâ istorum hominum Theologia, quam nusquam non suis in scriptis manifeste produnt. Dicentes enim. *Homo est Deus*, est Omnipotens, Caro Christi est Omnipræsens; nihil intelligi volunt aliud, quam Deus est Deus, est Omnipotens, est Omnipræsens ille, qui assumpsit humanitatem, si- ve Carnem: ita, ut Prædicata, (Deus, Omnipotens, Omnipræsens) nihil prorsus pertineant ad hominem, si- ve humanitatem aut Car- nem Christi.

XCVII.

Cum enim Deitas & Humanitas sint distincta & dispa- rata: idcoq; etiam neq; Deum esse posse Hominem: neq; Hominem Deum, aut Omnipotentem, aut Omnipræsentem esse posse, infe- runt: uti videre est in consensu Calvinistico, pag. 243.

XCVIII.

Sed quo quæso pacto Magistrorum istorum ferulam ef- fugiet sanctissimus Evangelista Iohannes, qui diserte scribere non dubitavit; *Verbum Caro factum est.* Quod si enim verbum non potest esse Caro: Qui nam obsecro verbum verè Caro factum esse dicetur? Sed fortassis Iohannes suum pronunciatum ad sensum Calvinianum attemperare cogetur, ut in posterum dicat & scribat: Verbum caro factum est, hoc est, verbum assumpsit quidem & habet carnem, sed non est Caro.

XCIX.

Qua interpretatione summum illud, ac vere tremendum Incarnationis Filii Dei, ipsiusq; adeo Unionis personalis mysterium penitus elevatur ac eluditur. C.

Cui impietati, Orthodoxi hoc Pietatis dogma opponunt; Reciprocam quasi naturis istis diversissimis, ex Unionis Mysterio conditionem obtigisse: ut, quemadmodum $\lambda\omicron\gamma\omega\varsigma$, Caro factus esse dicitur Ita vice versa, Caro illa, Deus esse credatur: neutrum scilicet, naturæ propriæ in diversam transformatione: sed utriusq; ve- rissimam unionem: præcipue autem Carnis in se $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\varsigma$, hoc est, Per- sonaliter nullâ habentis, intra ipsam $\tau\omicron\varsigma\ \lambda\omicron\gamma\omega\varsigma\ \iota\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\varsigma$ assumptione.

CI.

Eum ferme in modum, ut quemadmodum Anima propter Corpus, cum quo Naturaliter est unitum, Incorporata, Corpus vero propter Animam

Anima

Animatum dicitur: Si quidem neutra Essentia seorsim jam est, quod dicitur: Sed Unum Individuū Naturale, quod est Homo, simul constituunt: Ita ex Unione Hypostaticā duarum naturarum in Christo, & inde subsequente Naturarū *κοινωνία*, λόγῳ jam *ἑνσαρκωθεὶς*, sive *σάρξ γενομένη*. Caro vero *ἁπλοῦς*, ut Patres loquebantur, Deificata: vel quod idem est, Homo DEUS, & vice versa DEVS Homo dici possit ac debeat.

CII.

Neque *φορμίνγων* hæc sunt *τερετίματα*: Sed Reales omninò propositiones: quia res ipsa & veritas illis subest: neque verbotenus duntaxat sive *ἐκ οὐτοικῶς* DEVS dicitur esse Homo, & Contra: aut Filius Hominis Filius DEI, & contra: Sed vere ac realiter: Personaliter enim Filius DEI idem est, qui Filius Hominis: & contra.

CIII.

Erronea proinde nedum impia est phrasium istarum interpretatio, quā sensu Sacramentario dicitur: Homo Christus est DEVS, non quā Homo, sed quā DEVS. Aut, CHRISTVS DEVS est Homo, non quā DEVS, sed quā Homo: Aut, Christus est Filius DEI, quā DEVS, non quā Homo.

CIIII.

Non enim hîc quæritur aut Controvertitur de Naturis, Undè Christus sit naturalis DEI filius: vel Undè sit verus Homo: Sed de Personâ quæritur, quæ cum Una numero sit, licet *ὄντως* in duabus naturis subsistens: Efficitur; ut sive Filium Hominis, sive Filiū DEI dicas, non jam Naturam, sed personam unam eandemq; dixeris, quæ est DEVS & Homo: & DEI & Hominis filius.

CV.

Quod ipsum de proprietatum etiam *κοινωνία*, quæ ex reciproca istâ Naturarum conditione oritur, (distinctis tamen servatis gradibus) omnino est statuendum.

CVI.

Quemadmodum enim fieri non potuit, quin quicquid in Assumptione Carnis sub Unionem venit: illud etiam, & sic non naturæ nudæ, sed proprietatibus suis instructæ, sub *κοινωνία* venient. Ita fieri etiam nequit, quin nõ mediante hac *κοινωνία* verè ac realiter ea quæ propria sunt Hominis, jam in personâ, tribuere possis ipsi Filio DEI, & verè affirmare, Filius DEI natus ex Maria virgine, est crucifixus à Iudeis, & c. Et vice versa, ea quæ propria sunt divinitatis, jam
in per-

in persona etiam, tribuere possis ipsi Filio Homini, & verè affirmare Homo Christus, sive Christus secundum humanam naturam est Omnis, Omnipræsens, Omnipotens &c.

CVII. Hoc tamen observato discrimine, ut cum divina natura sit Assumens, non assumpta: sit etiam *αυτοπαλιν ημεταβλητο*, & neque in deteriorem neque meliorem statum mutari possit: ideo etiam humana illa propria, de Filio DEI tantum in Concreto prædicentur: Contra verò, cum Humana natura exaltari & perfici potuerit, imò verè exaltata sit, fit ut divina attributa, de Humanitate in abstracto prædicentur.

CVIII. Sed hæc quasi *παραφραδικαι*: Ad propositum *ζητημα* ut redeamus, Divinitus quidem cum Lutero factum esse, libenter fatemur, ut usus & discrimen vocabulorū Abstracti & Concreti in Ecclesia inventū & receptū sit: verum cum infinita sint fermè involucra disputationū de hisce vocabulis: & haud obscure Saniori doctrinæ sub iisdem insidias struant Adversarij, probè attendendum fuerit, quænam significatio istorum vocabulorum, in hac disputatione, propriè locum obtinere possit.

CIX. Relegamus autem ex hoc mysterio eam Abstracti significationem, quæ Naturæ in Christo extrâ Unionem, *ισχυαι*, quasi *επινοιας*, ut Damascenus loquitur, à se invicem separantur, & quid quælibet in se, per se, & ex se, extra Unionem habeat, attenditur.

CX. Hic enim locum habet illud ejusdem Lutheri, eodem in libro graviter admodum scribentis: *Hoc non est faciendum; non enim separanda sunt abstracta, alioqui fides nostra falsa est: Sed credendum est in Concreto, Ille Homo est DEVS. Item: Hoc loco de Abstracto tacendum est prorsus, quia fides docet, hic nullam esse abstractionem, sed Concretionem, Conjunctionem & copulationem utriusque nature.*

CXI. Verum per Concretum intelligimus ipsam personam, subsistentem in duabus Naturis: seu Constantem duabus Naturis, Divinâ & humanâ: Per Abstractum verò notamus ipsas Naturas in Christo: distinctè quidem: Sed non divisim aut separatim, hoc est, extra Unionem, verum semper in ea consideratas.

CXII. Sic in modis etiam loquendi, sive prædicationibus magna adhibenda est cautio, ut non confuse quidvis de quovis, propter Unionem hanc prædicandum esse, noverimus.

CXIII. Nunquam enim Abstracta de se invicem prædicantur: Siquidem in ipsa etiam Unionem, sine Confusione Naturæ manent distinctæ. Haud ergo dici potest: Divinitas est Humanitas, & contra.

D

Interim

CXIII. Interim verò Concreta de se in vicé, & de *ἑαυτῶν* in duabus natura-
turis subsistente prædicari posse concedimus: Ut exempli gratia, rectè
dicitur, D E V S est Homo: Homo est D E V S: Filius hominis est Filius
D E I, & contra.

CXV. Rursus Abstracta non possunt prædicari de Concretis: ut λόγος
est humanitas sive humana Natura: vel: Homo est divinitas aut divi-
na natura: Quemadmodum nec Concreta prædicantur de Abstractis:
ut Humanitas est D E V S: Divinitas est Homo.

CXVI. Sic notandum est & illud, quod, licet de humanâ naturâ in ab-
stracto prædicentur ea, quæ divinæ sunt propria: ut quando dico: Hu-
manitas Christi est Omnipotens, omniscia: Vel Caro aut Corpus Chri-
sti est Omnipræsens: Sensus tamen semper est Concretivus, ut Schola-
stici loquuntur: Siquidem Humanitati etiam in ipsa Unione, nihil
quicquam per se, & secundum se tribuitur, quod Deitatis est proprium:
Sed ostenditur, quid Christus secundum humanitatem ex gratia acce-
perit, quod ex Naturâ non habebat.

CXVII. Sed pedem hîc figo; & ab ulteriore refutatione, trium istorum
Sadeelis *ἑκκλημάτων*, quibus Ecclesijs per Germaniam V E R E Reformatis-
litem publicè intendere voluit, hoc quidem tempore receptui cano.

CXVIII. CORONIDIS loco ad duo illa Sadeelis postulata paucis responden-
dum fuerit, quibus à futuro Refutatore Tractationis hujus, de veri-
tate humanæ Naturæ IESU Christi flagitat, 1. Ut moderatè sine convi-
tiji: 2. Ut eadem Methodo Scholastico-Theologicâ agat.

CXIX. Quoad prius: placet sanè nobis quoque illud Augustini: *Rejicien-
dos & averfandos esse, quibus alterandi potius, quàm differendi genus arridet:
quippè nō momentorū pondere urgentes, sed maledictorum levitate criminantes.*

Matth. 5.
13.
1. Cor.
1.6.22.

CXX. Sed interim rogamus etiam Sadeelem, vel potius eos, qui ejus
patrocinium adversum nos fortassis suscipient, ut minùs ægre mole-
steq; ferant, si interdū, rei ipsius gravitate sic ferente, secundum admo-
nitionem servatoris SALEM sermone nostro admisceamus, & manifestis
impietatibus cum Apostolo Anathema & Maran-athâ dicamus: præfer-
tim cum non cum Infirmis in fide; quos cum omni lenitate ac manfue-
tudine tractandos esse novimus: Sed maximâ partem, cum *ἀνομασταχείταις*,
qui Ingenij sui placita, & Rationis dictamen, ipsi gloriæ D E I, & Ecclesiæ
paci ac tranquillitati, præferunt, nobis ex professo futura sit disputatio.

CXXI. Quoad Posterius postulatum, respondere sanè possemus cum Ie-
saia: Ad legem & ad Testimonium. Nisi dixerint secundum hæc, nō vide-
bunt auroram matutinam: Et cum D. Irenæo excipere, Solam scripturam
Sacram

sacrā esse lucernā illā *ἐπιτάμνω*. Christi lumē bajulantē: Verūm ne palāstram subterfugere videamur, studebim⁹ utiq; , sed secundum illud Socraticum *ἡ δόξα μὲν* pro ingenii tenuitate, ita & nostram asserere doctrinam, & Adversariū refellere argumenta, ut nemini sano obscurum esse possit, nos quoque *πρώτον τῆς ἐπιστήμης*, & cum primis Instrumentum illud, quo vera à falsis separari possunt, quodq; Demonstrationem Logici appellitant, & rem per causam cognoscit, minimè neglexisse.

CXXII. Eam enim demūm verè scholasticam, vel ut propriè magis loquamur, Logicā *διεξέδω* esse, cum acutissimo Segkio statuimus, non quæ rationis humanæ umbram consecretans, lumini & splendori verbi Dei sese opponit, aut *καταβάλλει εἰς ἀδολογίαν*, propriaq; disciplinarum confundit: Hanc enim jampridem ex agro Ecclesiæ relegavit Apostolus, Col. 2. 8.

CXXIII. Sed quæ de quolibet Problemate (*cujusq; tamen disciplina & professionis principis & fundamentis insistens*) exquisite & accuratè differit: & materiam argumentorum ac rationum non affert, sed propositam rectè digerit & disponit.

CXXXIV. Hos limites simul ac, in divinis præsertim, prætergressa fuerit, mox *Sophistia* nomen, naturā ac definitionem meretur: quippè quæ sub specie ac similitudine veri alios decipit & RATIONIS innitens principis, non potest nō errorū præstigijs incautis & ineruditis offundere. *Metaph. c. 1. T. 2.*

CXXXV. Quod si enim, autore Philosopho, mens nostra, tanquā Noctuæ oculi in claro Solis splendore, in iis, quæ Naturæ sunt clarissima, cæcutit: multo certè magis in rebus divinis, quæ Animalis homo non percipit, RATIO nostra occæcata sit, necessum est. *1. Cor. 2, 14.*

CXXXVI. Priusquam verò ad ipsam Argumentorum Sadeelis Refutationem accessum faciamus, observare visum fuit præceptum illud Philosophi, quo jubet ut si errorum fontes penitus obstrui debeant, ad ipsum *πρώτον ἰσῦδ* ascendatur.

CXXXVII. Proindè ipsam Erroris Sacramentarii in hoc quidem de persona Christi articulo, primam quasi scaturiginem *αἰοθόνη*, loco investigare placet, quæ quinq; videtur esse hypothese n.

CXXXVIII. 1. Negativam, quæ corpus & sanguinem Christi, in Sacramento cœnæ, externis ac visibilibus Symbolis & Elementis præsentia esse, constantissimè inficiantur, salvari haud posse intellexerunt, nisi communicatio Majestatis, quæ Filio Hominis, vel Christo secundum humanitatem obtrigit, simul negetur: imò funditus evertatur.

CXXXIX. 2. Hinc Unionis Hypostaticæ duarum naturarum in Christo modum nullum alium esse posse autumant, quàm qualis est illius

præsentia, quâ λόγος vel Angelis, vel reliquis Sanctis adesse creditur: ut gradibus duntaxat à se invicem differre, statuendum sit.

CXXIX. 3. Rationis humanæ iudicio mysterium hoc ita unice metiuntur, ut nihil amplius *μονότροπον*, nihil ὑπὲρ τῶν φύσιν, & ὑπὲρ τῆς οὐσίας κατέληψιν, ut Iustinus Martyr loquitur, relinquunt. Quod si enim (ut Sacramentariorum hypothefibus utar) Mysterium hoc unionis in eo solo vertitur, ut 1. Humana natura à λόγῳ tantum gestetur, & in æternum sustentetur: 2. ut magnis quidem, & Angelicâ etiâ potestate excellentioribus, donis ac virtutibus, finitis tamen, creatis, & cum divinâ Majestate nihil commune habentibus sit donata. 3. Ut proprietates naturales Corporis phisici non modo in æternum retineat. (id quod nos etiam ipsi fatemur) Sed & sine harum abolitione, & sic sine destructione humanæ naturæ, neque divinas operationes edere, neque corda hominû scrutari, neque Ecclesiæ, & gubernationi Creaturarum omnium cœli terræq; ubiq; præsens adesse queat. 4. Ut in ipso etiam gloriæ statu, sit maneatq; *σύνδουλός*: ac proinde nullo adorationis cultu, prosequenda, &c: Quod si inquam in his & similibus Terminis Unio Hypostatica versatur, uti certè, secundum Sacramentariorû sententiam unice versatur: edicat quæso nobis Sadeel, quidnam singulare, quid *μονότροπον* & *ἐξαιρέτην* in hac Unione mane-

1. Tim. 3.

16.

at reliquum: Quam tamen Gentium Apostolus, non sine causa, *ὁμολογῆ-
μένης μέγα μυστήριον* indigitare voluit.

CXXX. 4. Hoc ipsis evenit, ut, cum Orthodoxum Ecclesiarum nostrarum de Majestate Christi Hominis dogma, argumentis evertere se haud posse vident, mox pro Iphigeniâ Cervam, ut est in Poetarum fabulis; hoc est absurdum aliquod nobisq; inauditum nedum creditum dogma, de Locali quapiam Ubiquitate, de duabus Omnipotentis, Omniscientis, &c: substituunt, & impugnant: ac sic perpetuis *παρελέγχαις* aberrant.

Aristot. 1.

2. de cœlo

cap. 1.

CXXXI. 5. Ita Loco & Localitate, reliquisq; (ut Philosophus loquitur) *θνητῶν σωμάτων δυσχερείαις*, Humanitatem Christi, ceu vulgaris alijus Hominis Corpus, definiunt & circumscribunt: ut λόγός illâ, non nisi Localiter, in *U N O* quopiam certo Loco, præsentem sibi habeat.

Quæ sanè sola Loci & Localitatis consideratio, totam hanc controversiam peperit, dum Ratio humana nullum alium præsentia modum Christo quâ Homo per mittere novit, quam Localem. Quæ Imaginatio si removeretur, (uti certè ex hoc mysterio removenda est) mox Omnis Controversia cum Sacramentariis, quoad hunc quidem Articulum esset sublata. DEO GLORIA.

Errata. Thes. 9. lin. 7. pro *mores*, lege *errores*. Thes. 31. l. 5. lege, *eodem*. Thes. 46. l. 7. lege, *participe*. Thes. 83. lege: *in primo & secundo*.

4/1935 a


ULB Halle 3
001 541 250



56







24

SADDEEL ELENCHOMENOS
DISPUTATIO. I.
ECCLESIIARVM PER
GERMANIAM VERE REFORMA-
TARVM ΟΡΘΟΔΟΞΙΑΝ AC PVBITATEM, ADVER-
SVS EA, QVÆ ANT. SADDEEL IN EPISTOLA AD ILLV-
STRIS. Germaniæ Principes & Magistratus &c.
paradoxa ijsdem objicit, asserens.

Ad cujus positiones
Sub divini Numinis auspicijs,

PRÆSIDE
LEONHARTO HVTTERO
S. Theol. D. & professore publico

Respondebit
M. FRIDERICVS BALDVINVS
Dresdenfis, Poëta Laureatus : & Alumnus
Electoralis.

Ad diem 6. Septem. horâ matut. 7. In templo Arcis Electoralis.



VVITEBERGAE,
TYPIS M. IOHANNIS CRATONIS
Anno 1600.

11

